



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.  
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

**Potesta, Felice**

**Coloniæ, 1712**

Cap. XI. De debito conjugali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40060**

## CAPUT XI.

## De debito Coniugali.

4294 **A**dulter in poenam mittit jus ad petendum debitum ex iustitia: potest igitur petere rogando, sed non cogere, nam tunc alter conjux habet jus ad denegandum, & ideo dicitur adulter amisisse jus, quatenus non potest uti debito, invito conjuge, sicut antea poterat.

Hoc ad differentiam affinitatis, & voti quibus stantibus, nullo modo reus potest petere debitum sine dispensatione obtinenda ab Ecclesia.

Pro adulterio tamen poena remittitur ab ipso conjuge offenso, vel verbis, vel per signa amoris, vel ex quo adultero petenti, & roganti, liberè reddat debitum quâ factâ remissione statim adulter acquirit jus ad petendum ex iustitia: ita ut conjux non possit amplius ex vi prioris adulterii debitum denegare.

Tandem hæc poena non ineurritur nesciente conjuge adulterium.

4295 **Qui est certus** de nullitate matrimonii, bona fide contracti, non potest petere, nec reddere debitum, etiam si comparsignoret, sed debet petere dispensationem, & interim aliquâ occasione desumptâ separari ob periculum fornicationis: quod si non habeat locum dispensatio, quatenus impedimentum est juris naturæ, & non potest matrimonium per solam renovationem consensûs revalidari, v. gr. si erit impedimentum ligaminis, tunc tenetur fugere.

*Si esset dubius*, dubio non scrupuloso, sed prudenti, non potest petere, antequam diligentia factâ de veritate, rationaliter dubium deponat, quia se exponit periculo peccandi;

O o o o 3 tene-



## CAPUT XII.

*De usu matrimonii, & aliis obligationibus conjugatorum.*

4306 **T**enetur uxor virum alio abeuntem, & id requirentem, sequi; nisi aliud sit in contractu conventum, vel nisi inscienter vagandum duxerit; aut esset factus vagabundus post matrimonium, vel si vir vellet vagari cum periculo animæ, & corporis; vel si gravis necessitas, v. gr. infirmitas ab itinere excusaret.

4307 Non licet conjugibus aliquid facere, unde generatio prolis impediatur, etiam si timeatur in partu periculum aut paupertas: excipia prolis; quia opponitur fini intrinseco; qui est generatio. Possunt tamen ex mutuo consensu ob id ab usu matrimonii abstinere; non tamen possunt negare debitum, si alter petat.

4308 Vir volens legitimam copulam cum uxore habere, peccat mortaliter, si ut ad eam se excitet, illam inchoet sodomiticè. *Leander cit. qu. 36.* contra Nav. qui non est audiendus: quia talis actus, cum sit contra naturam, est medium in proportionatum ad copulam naturalem, & sodomia inchoata.

4309 Copula in vase legitimo, sed situ præpostero, aut alio innaturali, est solum venialis, si non sit probabile periculum effusionis seminis extra vas.

4310 Uxorem peccare mortaliter, si postquam vir seminavit, tactibus se excitet, donec ipsa seminet, tenet *Rod.* quem sequuntur *Castropal.* & *Mendo in Epit. ver. Matrim. num. 2.* quia finis generationis, recepto semine viri, est jam perfectus. Et aliàs mulier soluta, si hoc face-

set,